



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

57. An prouocantes ad duellum teneantur è domo non exire, dum non componitur pax? Et quam voluntate debeat prouocatus è domo in publicum exire? Ex p. 5. tract. 13. & Misc. 1. res. 25.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

non vult nisi ostendere se non esse timidum, neque facit, nisi inambulare per agrum, quæ per se non habent connexionem cum alterius ruina, nisi per accideñs ex sola illius malitia. At nullus tenetur cum gravi & proportionato incommodo abstinere ab actionibus bonis, & indifferentibus, quamvis illis alius sit per accideñs abusus ad suam ruinam, ut constat exemplo feminae se moderatè comentis; sed in hoc casu non potest provocatus eas actiones præterire absque gravi incommodo, ergo non peccat eas exercens, quia neque ex parte illius est voluntas pugnandi, aut aggrediendi provocatorem, sed se præcisè defendendi.

2. Dices ab omnibus negari licitum esse acceptare duellum, tum quia est intrinsecè malum, & prohibitum lege Ecclesiastica, tum quia in illo uterque est aggressor; sed provocatus acceptaret duellum, quia sciens sequendam esse pugnam ex suis actionibus, illa eligens, vult moraliter pugnam. Concedo majorem propter ejus probationes, & nego minorem. Ad ejus probationem respondeo, pugnam sequi per accideñs ex illis actionibus propter solam malitiam provocatoris; qui autem vult causam, ex qua per se & infallibiliter sequitur effectus, vult virtualiter & moraliter effectum ipsum; qui autem vult aliquid quod non est causa effectus, non vult effectum: talis est provocatus in hac occasione. Teneretur autem lege charitatis ab his actionibus abstinere, quando sine gravi, & proportionato damno potest, secus verò si non potest.

3. Dices secundò hunc casum esse chimericum, quia impossibile est ut aliquis verum honorem amittat quòd non egrediatur in locum conductum à provocatore, quia apud viros prudentes & Christianos nullus potest malè opinari de alio, quòd non egrediatur, ob quod nullus potest acceptare duellum. Respondeo acceptationem duelli esse intrinsecè malam, ob quod propter nulla commoda temporalia est admittenda. Hæc autem non est acceptatio duelli, sed quædam actiones honestæ, & indifferentes per se utiles, & unicè necessariæ ad depellendam infamiam timiditatis, à quibus abstinere non tenetur cum tam gravi incommodo, quamvis provocator illis sit per accideñs abusus. Item dico quòd sæpius dixi, eas actiones esse illicitas, quoties provocatus potest per aliud medium depellere infamiam timiditatis: ut si vir sit notæ fortitudinis, aut pietatis, aut si per virum Principem possit pacem componere. At verò si censetur in aliis occasionibus esse violator legis Dei, nec nota est ejus fortitudo, neque aliæ personæ accurrunt, quæ cum ejus honore ea de re tractent, jam est in tantas angustias conjectus, ut non possit abigere infamiam timiditatis, nisi egrediendo in agrum. Hæc omnia Hurtadus ubi supra, qui per alios §§. subsequentes, usque ad 115. conatur hanc sententiam mordicus probare; verum in fine asserit hanc sententiam esse speculative probabilem, practicè autem esse valde difficilem, & tu ne deseras omnino communem sententiam, quam sequitur Hurtadus de charitate dist. 9. diff. 26.

RESOL. LVI.

An liceat in aliquo casu acceptare duellum? Ex p. 10. tract. 12. & Misc. 2. Resol. 54. aliàs 53.

Sup. hoc in
ref. præte-
rita.

§. 1. AD hanc difficultatem sic respondet Petrus Marchant. in *Tribunali Sacram. tom. 2. tr. 6. titulo 3. quest. 15. resol. 2.* Non licet ulli, multo minus Duellum inire quacumque causa etiam honoris, nisi in casu in quo liceret Aggressorem injustum occi-

dere, & seipsum vitæ discrimini exponere. Ratio est: non enim potest quis se certo discrimini hominem occidendi exponere, &c. Dixi (nisi in eo casu quo liceret Aggressorem occidere, & seipsum vitæ discrimini exponere.) Pro quo nota, verum honorem præponi bonis temporalibus, & æquari vitæ: Ideo in casu quo liceret Aggressorem invadentem bona temporalia gravis momenti cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, in eodem casu liceret honorem verum per Duellum tueri: Si ergo occurrat casus in Duelli præsentatione, quo, si illud non accepto, Officium, Militiam aut Gradum ob infamiam delectere debeo cum gravissimo detrimento meo, vel Familia. Tunc crederem licere Duellum inire. Ratio est quia talis acceptatio non est nisi justa defensione contra realem Aggressorem, qui de facto moraliter meum honorem, Officium, gradum aggreditur, ut mihi illa violenter eripiat, quæ jure naturæ eadem vi defendere possum, & debeo, cum absque horum amissione retrocedere nequeam. Hunc solum liciti Duelli casum mihi possum imaginari possibilem, sitamen revera omnia quæ supra ponuntur, actualiter in casu reperiantur. Hæc omnia Marchant. quæ secundum ejus mentem dicta esse volo. Et de hac questione alibi alia à nobis etiam dicta sunt.

RESOL. LVII.

An provocantes ad duellum teneantur à domo non exire, dum non componitur pax?

Et quam voluntate debeat provocatus à domo in publicum exire? Ex part. 5. tract. 13. & Misc. 1. Resol. 15.

§. 1. CASUS est practicabilis; Pro ejus decisione suppono me non teneri omittere actiones, quas sine gravi, & proportionato damno præterire non possum, licet ex eis alius vicio sit accepturus occasionem ruinæ propriæ. Hoc supposito respondeo ad dubium propositum, provocatum non teneri se domi continere, quando sine gravi, & proportionato damno id efficere non possit: nam in tali casu potest licitè in publicum exire. Ita Banez in 2. 2. quest. 64. art. 7. dub. 3. in fine, & Sanchez in *sum. tom. 1. lib. 2. cap. 39. num. 11.* In quibus vero casibus inclusio intra domum erit maxime incommoda provocato, explanat Hurtadus de Mendoza in 2. 2. dist. 170. s. 1. 2. §. 96. & 97. ubi in fine docet hoc licitum esse, quoties provocatus non potest honestè se domi continere, quia prudens quisque censet id oriri non à ratione, sed à timiditate, quæ omnia licita esse probat in illis casibus, in quibus provocatus certo scit inimicum esse in loco, per quem ipse est iturus, vel etiam quando faciendum est iter per locum conductum, ubi provocator expectat armatus. In his autem casibus, in quibus licitum est provocato exire ad sua negotia peragenda cum periculo pugnandi, potest & debet ire bene armatus, non secus ac si ipse esset pugnaturus. Se enim armare non est peccatum, ea autem in occasione prudentis est timere pejora, & se ad illa comparare. Nec potest provocator inde scandalum pati, quia cum ipse alium provocatione coegerit, ut se armeret, alioquin apud omnes erit imprudens, cur exanderet provocatorem, aut cur inde ansam arripit pugnandi?

2. Sed quam voluntate debeat provocatus à domo in publicum exire? Respondeo non voluntate absoluta pugnandi, sed conditionata, qua provocatus decernit pugnare, si à provocatore cogatur, nec possit se aliter honestè tueri: & ratio est, quia hæc voluntas non est mala, est enim de objecto bono, quia quando non potest periculum aliter effugere, quam dimittendo

cum injusto aggressore, tunc cum illo pugnare est bonum, quia est necessaria defensio ab injusta vi. Tunc autem provocatus egrediens domo, vult absolvere negotia sua gerere, & suum munus explere; quod quidem honestum est: media autem, quæ elegit, sunt in differentia ad bonum & malum; honestari autem possunt ab honesto illo fine: sunt autem ea media egressus è domo, inambulatio per vias publicas, & alia id genus; à quibus non tenetur provocatus abstinere cum gravi suo damno, quamvis sibi persuadeat provocatorem eis abuturum ad pugnam; ille enim abusus non oritur ex meis actionibus, quibus est ille per accidens abusus, oritur autem per se à sola malitia provocatoris, qui ex meis actionibus honestis abripit ansam ad peccandum.

RESOL. LVIII.

An, si conventio de pugnando facta sit in rixa, & inter conventionem, & pugnam intercedat tempus, non incuratur in penas latas contra duellantes?

Et notatur consulens duellum non incurrere excommunicationem, si fecit quantum potuit revocando consilium, licet nihil profecerit. Ex part. 6. tr. 6 & Misc. 1. Resol. 21.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam docet Filliucius tom. 1. tr. 15. cap. 5. num. 111. & 112. ex duobus casibus quos ibi ponit, & ego infra refellam: & rationem adducit, quia est duellum ex condicto prohibitum à Constitutionibus Pontificiis, cum intercedat tempus inter conventionem & pugnam.

2. Sed mihi placet contraria sententia dummodo intra illud spatium temporis pugnantes non se vertant ad actus extraneos & alienos ab ipsa pugna, & arbitrio prudentis duret calor iracundiae. Et ratio est, quia conventio & pugna est una actio moralis continuata, & in ipso calore iracundiae facta, ut patet ex Suarez tom. 4. in 3. part. disp. 2.2. sect. 5. num. 21. & 22. Sed principium dictæ actionis fuit rixa, & conventio pugnae facta fuit in rixa, & in ipso calore iracundiae: & durante ipso calore arbitrio prudentis sequuta est pugna; Ergo pugna illa dicenda est rixa, & non duellum ex condicto factum, quia in actionibus moralibus principium semper attenditur.

3. Nec obstat interventio temporis inter conventionem & pugnam, si enim pugna sequuta est eodem die, quo facta fuit rixa & conventio; creditur commissæ ex eodem calore iracundiae, ut docet Menochius de arbit. judic. lib. 2. cent. 4. cas. 361. num. 53. & Mascardus de probat. consil. 98. n. 28. & per consequens est una actio moralis procedens ex rixa. Vnde ex supradictis sequitur, contra Filliucium, ubi supra quod si duo exorta rixa in Ecclesia ibi ob reverentiam loci enses non educunt, sed conventionem facta de pugnando in viam, vel in alium locum determinatum exeunt, ut pugnent, & pugnant, licet spatium temporis intercesserit inter conventionem & pugnam, & in determinato loco sit sequuta: tamen si ad actiones extraneas & alienas à pugna non se verterunt, sed durante calore iracundiae excitato in rixa pugnam commiserunt, non est dicendum duellum ex condicto, sed pugna exorta ex rixa, & per consequens non incidunt in excommunicationem & alias penas contra Duellantes inflictas, quia est una actio moralis continuata principium habens in rixa & finem in pugna, & quia principium attenditur in dictis actionibus, ut docet Bonacina tom. 3. disp. 2. quæst. 3. punct. 48. num. 8. & Peregrinus de Duello, quæst. 22. num. 21. dicenda est rixa & non duellum ex condicto. Et simi-

Tem. V.

liter si duo invicem contendant quorum alter, quia non habet enslem in vicinam domum se confert, ut eo accepto cum altero armato pugnet, dato quod in ipsa contentione conveniant se pugnuros, & ut armatus expectet, si postea pugnent, existimò non esse delictum ex condicto; sed pugna ex contentione, sive rixa exorta: & licet sint duæ actiones physicae distinctæ, conventio & pugna, tamen est una actio moralis, cujus principium fuit rixa. Ergo, &c.

4. Notandum est etiam hic obiter me his diebus probabilius respondisse, consulens duellum non incurrere excommunicationem, si fecit quantum potuit revocando consilium, licet nihil profecerit: quia quantum ex se effecit, ut per illum cesset duellum; quod si non cessavit, ipse jam non est in causa, quia novum consilium dedit efficacius de se ad revocandum duellatorem qui si non revocatur, est propter ejus pravitatem: jamque non movetur ex ejus consilio formaliter, sed materialiter. Ita in specie Cælestinus in Compend. Theolog. moralis tr. 3. cap. 1. n. 10. & Hurtadus de Mendoza in 2. 2. de fide, spe & charitate vol. 22. disp. 170. sect. 21. §. 189.

Sup. hoc sup.
in Res. 52. §.
Dico deci-
mo. & infr.
in Res. 64. §.
ult. rursum
post med.

RESOL. LIX.

An, si accusator offerat duellum purgativum, possit illud innocens acceptare ad tuenda bona temporalia?

Et an ea, qua dicuntur de acceptance tertaminis purgativi, tandem vim habeant in certamine non purgativo?

Et an innocens possit criminatori offerre singulare certamen, quando alia ratione non potest se suaeque tueri?

Ex part. 5. tr. 13. & Misc. 1. Resol. 27.

§. 1. **N**egativam sententiam docet Lessius lib. 2. cap. 9. dub. 8. n. 47. Filliucius tom. 2. tr. 29. num. 144. Suarez de charitate disp. 13. sect. ult. num. 5. & ante omnes Petrus de Aragon in 2. 2. quæst. 64. art. 3. ad tertium argumentum, & quia casus est curiosus, ponam per extensum ejus verba; sic igitur ait: Aliqui asserunt, quod innocens licet potest accusatorem per calumniam usque ad mortem prævalentem interficere, cumque provocare ad singulare certamen. Nā cum accusator tunc injuste innocentem aggredietur gladio materiali judicis, & quicunque in valis gladio licet potest etiam cum morte aggressoris se defendere sit ut etiam licet tunc possit innocens in propriam defensionem accusatorem interficere. Sed hæc sententia est aperte falsa. Primò, nam ex ea sequeretur, quod qui accusaret innocentem bona fide ex ignorantia invincibili licet possit ab eo interfici in propriam defensionem; consequens autem est falsum, & contra rectam rationem. Nam sic esset maxima perturbatio in Republica, & unusquisque suum interficeret accusatorem, dicens se ab eo injuste accusari, quod est absurdum; ergo & illud ex quo sequitur. Probo sequelam, si quis invaderet me bona fide ex ignorantia invincibili, ego licet possem illum interficere in meam defensionem sed acculans aggredietur innocentem gladio materiali judicis secundum Caietanum: ergo etiam si ex ignorantia invincibili id faciat, licet poterit ab innocente interfici. Secundò, quando dominus mittit servum ad me interficiendum, quamvis sit licitum occidere dominum domi manentem, ut omnes concedunt: ergo pari ratione, quamvis accusator occidat me per iudicem, non erit licitum occidere illum domi manentem. Vltimò si sententia Caietani esset vera, sequeretur quod si quis per calumniam me accusando esset causa, quod ego conicerer in carcerem, aut quod perderem bona mea, liceret mihi illum occidere.

D 2 Consequens